

B. M. II, 372^a

h. 72, 4.

(X 1880708)

II R
3464

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,

De

TRANSMIS-
SIONE,

Quam

Divinâ aspirante Gratiâ,

Ex Decreto atque Autoritate

Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Jctorum Or-
dinis in Florentissima Salana Universitate,

P R Æ S I D E

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. JOHANNES STRAUCHIO,

Jcto & Antecessore hujus Academiæ famigeratissimo,

Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ, Dicasterii Provincialis

atque Scabinatus Adessore gravissimo,

Dn. Præceptore ac Patrono suo sanctè devenerando,

P R O L I C E N T I A

Summos in Utroque Jure Honores atque Privilegia Doctoralia

ritè ac legitimè capeiendi

Publice Doctorum censura submittit

JOHANNES CASPARUS Hendrich

Salfeldiâ-Thuringus.

Ad diem XIIII. Octobr.

Horis ante & pomeridianis.

UNIVERSITÄT
HALLE
(SAALE)
BIBLIOTHEK

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

J E N Æ,

Literis JOHANNIS NISII, Anno clō 18c LIX.



*SERENISSIMO. ATQVE. CELSISSI-
MO. PRINCIPI. AC. DOMINO.*

DOMINO.

FRIDERICO.

GUILIELMO.

*DUCI. SAXONIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ.
ET. MONTIUM. LANDGRAVIO. THU-
RINGIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ. COMITI. MAR-
CÆ. ET. RAVENSBURGI. DYNASTÆ. IN.
RAVENSTEIN. &c.*

*PRINCIPI. AC. DOMINO. MEO.
CLEMENTISSIMO.*



SERE.

*SERENISSIME. ATQVE. CELSIS-
SIME. PRINCEPS.*

PRINCEPS. AC. DOMINE. CLEMENTISSIME.



Quod Augustissimi Nominis Tui fulgore tenues hasce paginas irradiare ausus fuerim, ne velit Sereniss. Celsitudo T. de isthoc conatu meo inclementiùs opinari. Ipsa quippe me jussit naturalis obligatio, ac summa Civium subjectio, quam civis debeo. Suasit quoque insignis ac planè singularis Celsitudinis Tuæ Benignitas atque Clementia, quâ hætenus omnes eos summa cum laude profecuta est, qui in studiis operæ aliquid posuêre, ut Reipubl. quondam sint utiles. Plura majoraque quidem deberem, Cui omnia debeo; non diffiteor. At majus quid nondum licet, licebit cum Deo, Principe meo ac Die. Quinimo proficiscuntur hæc ex devotione, quâ ergà Principem Pium subditus fidelis animatus esse & debet &

A 2

pot-

potest, planè solduriâ. Hinc quemadmodû
Diis olim farre pio, & saliente micâ factum,
neque tamen ingrata fuisse adorantium
pietate, aut ex sacrificii pretio æstimatam,
loquuntur historiæ monumenta; Ita
quoq; Sereniss. Cels. T. quæ divini Numinis
vices hisce in terris non sine immortalis de-
core & gloria gerit, in receptione humilli-
mæ devotionis hujus victimæ idem imita-
ri, præsentemq; chartas meq; totum dicatû
Clementer respicere, non dedignetur.
Quod reliquum est DEUS O. MAX. TE VERE
AUGUSTUM PATRIÆ PATREM cum universa
Illustrissima Familiæ Saxonicæ progenie
quam diutissimè salvum atque incolumem
tueatur, Illustrissimarumq; Virtutum Tua-
rum laudē æternâ gloriâ sed serò coronet!
Serenissimæ Celsitudinis Tuæ

Devotissimus & humillimus Servus

JOHANNES CASPARUS Hendrich.



I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
De
TRANSMISSIONE.

THES. I.



Acquiritur hereditas vel factō vel ipso jure. *Hoc modo* heredibus necessariis, itemque suis qui & necessarii sunt, acquiritur etiam clausis testamenti tabulis. *l. ex parte. §. 8. d. acq. vel omitt. hered. l. in suis 14. d. suis & legit. l. 1. §. qui sunt 7. si quis omitt. caus. l. 16. §. 2. d. curat. furios. §. 1. d. hered. qual. & differ. Et immixtio propriè dicitur. l. 3. §. Socio l. ait prator. 7. §. 5. vers. non solum. d. minor. l. 8. l. si te. 10. C. d. jur. deliber. Quamvis aliquando etiam extranei se miscere hereditati. l. 1. §. est hoc. d. off. Proc. Cas. & sui heredes dicantur adire hereditatem, sed κατὰ χρευσιν ἢ abusivè. l. si duo 38. in f. d. A. vel O. H. l. si filius 10. d. collat. l. 4. C. d. instit. & substit. l. ult. C. d. repud. hered. l. 2. pr. d. excus. tut. Illo acquiritur hereditas Extraneis: Et quidem aditione, vel pro herede gestione. l. filiusf. 18. ad. L. Falcid. Pro herede gestio explicatur solo factō, cum ea in rebus hereditariis facit heres, quæ quisque dominus in re sua facturū foret, vel prædia locando, colendo, aut alio quovis factō voluntatem suam declarando. §. 6. d. hered. qualit. l. 5. C. d. jur. deliber. Nisi protestetur non animo acquirendæ hereditatis, sed vel pietatis vel custodiæ causa hoc facere. l.*

20. pr. & §. 1. d. A. vel O. H. Nec contrariatur. d. l. 20. pr. & l. 88. eod. ubi pro herede gerere dicitur, qui animo agnoscit successionem, licet nihil attingat hereditarium. Vid. *Wissenb. Disput 58. th. 7. Bach. ad §. item extraneus ult. d. hered. qual. & differ.* Aditio hereditatis & ipso facto s. gestione pro herede d. §. ult. d. hered. qual. & l. 20. d. A. vel O. H. (Et sic aditionis vocabulum generaliter, ut & gestionem pro herede comprehendat, accipi solet. l. 25. §. 7. l. 12. de interr. in jur. d. A. H. Ant. Govean. 1. var. lect. 25. Dn. Hahn. ad *Wessenb. d. A. H. n. 3.*) & nuda voluntate, verbis quibuscunque declarata fieri potest d. §. ult. ibique *Bach. n. 3. Dn. Schnobel. Disput. 16. th. 30. Donell 7. Comment. 8.*

Th. II.

Cæteroqui cum facilè fieri possit, ut heres vel institutus vel ab intestato succedens antequam hereditatem adeat, decedat, atque ita ob causas fortuitas casusque humanos heredes eorum delata ac quasi debita successione iniquè defraudentur. l. un. C. d. his qui ant. apert. tab. l. 7. d. bon. damnat. l. 9. l. 10. pro Socio. Idcirco utile nec minus necessarium fuit medelam huic juris rigori adhibere, nec non ad amoliendam injuriam hanc, jus transmissionis introducere d. l. un. l. cum in antiquioribus C. d. jur. deliber. quo acquirit sibi heredis heres hereditatem non aditam vel acceptatam, non ex sua sed persona heredis. Hanc igitur difficilem, diffusam atque utilem materiam quantum hinc inde ex interpretibus juris de ea licuit colligere, certis positionibus circumscribere, circumscriptam loco Dissertationis Inauguralis publicæ Doctorum censuræ subjicere, haud præter rem fore, existimavimus; Ea quippe nostram hætenus cathedram subire visa non est, & sic vel sola raritate seipsam com-

men-

mendat. Iniquam verò an æquam viribus nostris, ut æquilibrio expenderemus, ante manum admotam non opis erat nostræ. Nihilominus si quid rectè omnino, in rebus difficillimis votum etiam non assecutis voluisse saltem abundè pulchrum & magnificum apud graves viros existimatur, secundùm *Plin. in Prefat. nat. histor.*

Th. III.

Disputaturus ergò de Transmissione accuratissimè hujus vocabuli diversimoda acceptio evolvenda erit, in illius quippe recta & commoda explicatione plurimum momenti situm est. Sumitur autem quadrupliciter (1.) *Latissimè* pro quacunque translatione, quæ fit ad quoscunque quocunque modo *arg. l. 1. d. Constit. Princip. §. 6. d. I. N. G. & C.* ubi potest dici Populum Rom. omne imperium suum & potestatem in Principem transmisisse, h. e. transtulisse. Similiter literæ dicuntur transmitti & quæcunque res. (2.) *Latè*, & hoc modo iterum dupliciter, pro translatione eorum, quæ ipsi sanguini adherent atque insunt, ut nobilitas generisque splendor. *l. 3. C. de Commerc. & Mercat. l. 1. l. 11. C. d. dignit. l. 14. §. 3. d. muner. & honor.* Quæ alias audit transmissio *naturalis*. Deinde pro transiitione *conventionali*, quando vigore & virtute pacti conventionisque jus quæsitum transfertur in eum, cui tali pacto prospectum cupimus, uti sunt pacta familiaria s. confraternitatis *die Erbverbrüderung oder Erbvereinigung* / quorum aliquot exempla refert *Schönborn 2. Polit. 13.* Hoc modo quoque feuda à primo acquirente quæsitâ ejusmodi pacto transferuntur ad posterios, uti constat *2. F. 18. & 1. F. 1. §. 2. & 3.* Simile exemplum in *Nov. 7. c. 3.* habemus. (3.) *Strictè*, qua id agitur, ut

ut res aliqua ad alios sit transitoria, ut puta actiones, contractus item privilegia causæ ad heredem transmittuntur. *l. privilegia. l. 68. d. R. J.* Et vocatur proprio suo significato *Transitio*. Nicol. Noalis *Jctus Venetus in suo d. Transmiss. Tractatu pag. 2. (4.)* Strictissime, quando quis ad successionem venit non vocatus à jure vel testatore ex propria, sed ejus persona, qui à jure testatoreve expressè vocatus fuit, heredis scilicet, legatarii, fideicommissarii *d. l. un. C. d. his qui ant. ap. l. 3. l. 7. & 9. C. d. jur. delib. l. in suis 8. d. suis & legit. l. un. §. 5. & 13. C. d. caduc. tollend.* Ita ut transmittens sit heres defuncti ante hereditatem aditam acceptamve mortuus, Transmissarius verò sit hujus heredis heres. *Magnificus atque Consultissimus Dn. Ordinarius Richter. Jctus famigeratissimus in Cent. decis. jur. decis. 67. n. 1.* Atque hanc ultimam acceptionem genuinam, meæque Disputationis objectum esse, ex infra dicendis dilucidius apparebit. Vocaturque *Legalis*. Differt à *Vocatione* in eo, quod nempe hæc dicatur illa, qua quis ad aliquam successionem, substitutionem vel actionem venit vocatus à jure vel testatore, & sic ex persona sua propria, non ex persona heredis, legatarii vel fideicommissarii, nec tanquam illius heres. *Noal. d. l. n. 3. & seqq.* ubi differentiam inter hæc duo vocabula plenius tractat.

Th. IV.

Remota itaque ambiguitate definitionem aggredimur. Non convenit verò inter Dd. quomodo rectè & concinnè definiri possit Transmissio, mihi utut aliorum sit judicium, hæc ad palatum: Quod nimirum sit *successionis ejusdem juris ac nature ex testamento vel ab intestato, lege ita disponente ab herede defuncti in heredem proro-*
gatio.

gatio. Quæ definitio ex l. 7. §. 1. l. 59. l. 84. d. A. H. l. 4. in f. d. bon. poss. cont. tab. l. 3. §. eleganter. 30. d. Sct. Sillan. l. 81. §. 6. l. 104. §. 6. d. legat. 1. l. 5. pr. quand. dies leg. l. 3. l. pen. C. eod. l. un. C. d. his qui ant. l. 19. C. d. jur. delib. l. un. §. 5. & 13. C. d. cad. tollend. l. 8. C. d. suis & legit. desumpta, quamvis juxta Philosophorum præcepta non sit confecta semper, rei tamen explicandæ satis convenire videtur, cum juris conditores modo de rebus constet, verborum ni miũ non faciant delectum. Confer. Magnificus Dn. D. Richter. d. decis. 67. Nobilissimus atque Consultissimus Dn. Struv. Jctus Excellentissimus in Exercit. 34. th. 37. Noal. d. l. n. 2. Gomez. lib. 1. var. resol. cap. 9. n. 46. in fin. ibique citat.

Th. V.

Hæc Legalis Transmissio trifariam dispescitur: *Aut enim fit vel ratione suitatis, vel ratione sanguinis, vel beneficio juris deliberandi.* Johann. Corasius lib. 7. Miscell. cap. 1. n. 4. duobus tantũ casibus, non aditam hereditatem transmitti dicit, nempe in descendentes beneficio Theodosianæ Constitutionis l. un. C. d. his qui ant. & ab heredibus intra tempus deliberandi l. 19. C. d. jur. delib. Quid dicendum vid. th. 20. Quæ fit vi suitatis competit suis heredibus, qui licet post obitum patris sui decesserint, antequam paternæ se immiscere hereditati, illamve sibi delatam rescire potuerint, ad eundæ tamen illius jus ad quoscunque heredes etiam extraneos transmittunt. l. apud hostes 8. C. d. suis & legit. ibique Gothof. in Not. lit. T. l. 3. C. d. jur. delib. l. si quis 7. §. 2. d. A. H. l. 9. §. cum bello. d. reb. dub. l. 9. d. jur. fisc. l. 19. §. 2. d. castr. pecul. Vulgò à Dd. naturalis vocatur, Rauchb. P. 2. quest. 15. n. 7. cum seqq. Nam sola existentia sui heredis transmissionem paternæ hereditatis operatur etiam nondum agnitæ.

B

l. 20.

*l. 20. §. 1. d. stipul. serv. l. 14. d. suis & legit. l. 1. §. 7. Si quis
omiss. §. 3. d. hered. que ab intest. l. 63. d. A. H. Vid. Jacob.
Schult. ad quest. M. Pistor. P. 4. quest. 131. n. 16. & 19. Et
non potest videri non adita patris hereditas, aut pater in-
testatus, siquidem is non est sine herede, cui est suus he-
res. l. 30. in f. d. fideic. libert. Si itaq; hereditas est pro adita,
quidni transmittatur à filio moriente ad heredes s. ab in-
testato s. ex testamento? cum videatur legi se confor-
masse, nisi de contraria pateat voluntate. Zæf. in Comm.
Digest. Tit. d. acquir. vel amitt. hered. n. 26.*

Th. VI.

Qui autem sint & dicantur *sui heredes* rem non
cognitu facilem esse ex eo constare potest, quod Angelo
Politiano evenisse fertur, is enim dum senex jactaret se
in glossematis juris civilis non solum Accursio non ces-
surum, verum etiam se superaturum, interrogatus à Ma-
riano Socino Seniore, quis suus heres esset, infeliciter
obmutuit. *Ant. Cont. lib. singul. d. hered. & bon. poss. que
ab intest. p. 18. Vacon. à Vac. ponit definitionem lib. 3. De-
clar. 50. n. 15. dicens: Suus heres est is, qui unà cum patre
bonorum suorum est dominus. Alii aliter. Nos ex §. 3.
d. hered. qu. sic definiendum existimamus: Sui heredes
sunt liberi, qui tempore mortis proximè, sive nemine in pro-
piori gradu precedente, in potestate patris morientis fuere.
l. lege Cornelia. 12. in f. qui test. fac. l. 1. §. 2. d. R. V. Excel-
lentiss. Dn. D. Struv. d. Exercit. 34. th. 14. Sed sui quidem
heredes ideò appellantur, quia sibi metipsi quasi here-
des sunt, domestici, nativi §. sui 2. d. hered. qu. ad pater-
nam hereditatem, non modo natura vocati, verum et-
iam patris destinatione l. 15. d. inoff. testam. l. scripto. in f.
und. liber. Græci suum ἀποκληρόνομον dicunt, quia pater de-*

defunctus in filii persona redivivus quodammodo vide-
tur. *Horoman. 9. obs. 10. Gomez. 1. V. R. 9. n. 10.* Atque hinc
est, quod vivente adhuc patre jam quasi quodammodo
domini, patrique socii participes & coheredes sint, non
solùm nostrorum testimonio Pauli *l. 11. d. lib. & posth.*
Justiniani *d. §. 2. d. h. q. §. 3. d. her. que ab intest.* Sed alio-
rum quoque Scriptorum, *Terent.* Donec salvus redierit
meus particeps. *Symmach. lib. 1. Epist. 9.* liberos non tam
testamento scribi, quam gigni heredes. Unde Apostolus
Gal. III. ult. & c. IV. 7. ita concludit, si filius, Ergò & he-
res. Et servus Abrahami Isaacum vocat dominum suum
Gen. XXIV. 65. Mortuo verò patre non tam alienarum
rerum quam suarum dominium consequuntur, & sui
ipsius heredes esse videntur *d. l. 11. d. lib. & posth. Junge l. 1.*
§. largius. 12. d. success. Edict.

Th. VII.

Ad suum itaque heredem constituendum requiritur
(I.) *ut cum nemo in linea descendente precedat sed proximum gradum à testatore obtineat*, v. g. Si quis & filium ex-
que eo nepotem in potestate habeat, filius tantum suus
heres est, non etiam nepos, qui licet in potestate sit, pro-
ximum tamen locum non obtinet, ideoque non aliter
quam patre suo mortuo, aliove modo à potestate libera-
to, suus heres efficitur. *§. 2. d. h. q. & diff. §. 2. d. b. que ab*
intest. Tum enim demum fit avo suo heres, patri autem
suo non est suus heres, nisi mortuo prius avo *d. §. 2.* Ra-
tio peti potest ex *§. ult. d. p. p.* quia vivente avo, nepos est
in potestate avi & non in filii. Ratio rationis: Quia fi-
lius cum ipse sit in potestate patris sui, alium in potestate
habere nequit *l. 21. ad L. 3. d. adult.* Aliquando verò fit
testamento destituito, ut qui tempore quidem mortis

non fuit proximè in potestate defuncti, postea eo, qui
præcessit, post mortem patris decedente, existat proxi-
mus in familia: unde tali casu, an quis suus heres
existere possit inspiciendum esse dicitur tempus delatæ
hereditatis. §. 7. d. h. quæ ab intest. l. 7. und. liberi. l. 1. §. 8.
d. suis & legit. l. 7. §. 1. d. inj. rupt. l. 9. d. lib. & posth. Dm.
D. Struv. Exercit. 34. th. 14. Ut ecce, pater filio exhereda-
to extraneum heredem instituit, deliberante herede scri-
pto filius moritur, mox scriptus omittit hereditatem, ne-
pos ex illo filio susceptus avo suus heres erit ab intestato,
& hic tamen tempore mortis avi suus heres esse non po-
tuit, propter præcedentem personam patris d. l. 7. und. lib.
& §. 7. ubi hoc pluribus illustratur. Conf. Vinn. in Com-
ment. Instit. d. h. q. & diff. §. 2. n. 1.

Th. IIX.

(II.) Requiritur patria potestas, quam esse extremum
suitatis primum sentit ex l. in suis 11 d. lib. & posth. Angel.
de Perigl. in Tr. d. suitat. quest. 10. n. 7. ad tempus usque
quo pater moritur. Suus enim heres is dicitur, qui tem-
pore mortis est in potestate d. §. 2. d. h. q. & diff. & l. lege
Cornelia. 12. in f. qui test. fac. §. 9. d. her. quæ ab intest.

Th. IX.

Hinc hæc transmissio locum non habet. I. in Eman-
cipato, præsupponit enim suitas præviam potestatem pa-
triam, quam removet emancipatio. §. 6. quib. m. p. p. solv.
ut sublata causa transmissionis, cesset ejus effectus. §. e-
mancipatos d. exher. lib. §. 9. d. her. quæ ab intest. Licet
enim jure novissimo Nov. 118. c. 1. Suitas quoad succes-
sionem ipsam sublata sit, ita ut hodiè non amplius de ju-
re Prætorio per bonorum possessionem unde liberi, sed
recto jure Civili emancipati cum suis ad parentum suc-
ces-

cessionem æqualiter admittantur §. 9. d. h. quæ ab. subla-
ta quippe est differentia agnationis cognationisque per
Nov. 118. c. 4. quæ diversitas discrepantiam illam succes-
sionis & remotionem emancipatorum de jure Civili in-
ducebat; Attamen differentia in qualitate modoque
succedendi & hereditatis transmissione adhuc superest.
Non minus enim hodiè emancipati ad effectum acqui-
sitionis & ut fiant heredes, adire hereditatem coguntur,
cum ipso jure ad modum suorum in potestate constitu-
torum, tempore mortis paternæ heredes non existant.
§. 3. d. h. q. l. 84. d. A. H. Magnificus Dn. D. Ungepaur. p. m.
Exercit. Justin. 9. quæst. 3. Hillig. ad Donell. 9. Comment. 2.
lit. c. A. Faber. 29. err. Pragm. 10. n. 24. & seq. Gomez. 1. c. 9.
n. 24. Duar. Tit. d. acquir. velomitt. hered. c. 5. fol. 45r.

Th. X.

II. Cessat in *Monacho*, qui jure suitatis successio-
nem sibi derelictam non transfert ad monasterium. Cum
illius ingressus patriam tollat potestatem, nec pater fili-
um inde potest abducere, nec quicquam per eum acqui-
rere, per *Nov. 5. c. 5. Auth. ingressi C. d. SS. Eccles. Auth.*
Nunc autem C. d. Episc. & Cler. add. Nov. 123. c. 38. At præ-
cipuum jus patriæ potestatis est, ut pater jure Quiritium
filium vindicare possit. *l. 1. §. 2. d. R. V.* Accedit & id,
quicquid à Curia liberat, liberat etiam à p. p. Sed mona-
chismus à curia liberat. *Auth. sed neque. post. l. 4. C. d. E-*
pisc. & Cler. Denique quod nemo simul & semel sub po-
testate duorum existere possit, *arg. c. Clericus. XXI. q. 1.*
Jam autem filius qui ingressus est se suaque omnia in po-
testatem Abbatis conjicit; nam neque velle neque nolle
habet monachus, sed ex imperio sui Superioris & Prælati
pendet. *c. nolo. c. non dicatis. XII. q. 1. c. religiosus d. elect. in 6.*

E. respectu patris tanquam extraneus ex capite suicitatis transmittere non poterit, *Nobilissimus Dn. Praeses Dissert. 4. th. 28. Consultiss. Dn. Schröter. in Not. ad Sutholt. aphor. 72. disp. 2. Diss. Gail. 2. obs. 131. n. 11. ibique citat.* Nituntur isti eo praecipue argumento, quod sumitur ex *l. Deo nobis. 56. §. 1. C. d. Episc. & Cler. ibi: omnem parentum substantiam heredes sibi defendant &c.* Paucis: habilis quidem est ad successionem & bonorum capax, sed tamen non reperitur quod sit verè suus, quodq; transmittat hereditatem non aditam. Cætera quæ videntur obstare infringere annitar in ipso disputationis actu.

Th. XI.

III. Non obtinet transmissio jure suicitatis *in successione materna*, nam mater liberos in potestate non habet. *§. fæminæ 10. d. adopt. §. 3. d. b. q. & diff.* Et quamvis ratione cognationis matri filius sit proximus, ei tamen non suus sed est extraneus heres propter dictam rationem, *add. l. 4. §. 2. d. b. p. cont. tabb.* Quare autem mater liberos non habeat in potestate, duplicem Dd. afferunt rationem, altera quia jus Romanum ipsas foeminas in perpetua tutela esse voluit, altera & quidem verior, quod liberi non matris sed patris familiam sequuntur *l. 195. §. familia. d. V. S.* Patria quippe potestas ad conservationem & amplificationem familiarum inventa, quæ per foeminas fieri nequit. *d. l. 195. §. f. & l. seq. d. V. S. Faber. in jurispr. Papin. ad Tit. 8. pr. 1. illat. 2.*

Th. XII.

An verò filiusfam. jure suicitatis fraternam transferat hereditatem non aditam ad quoscunque heredes, si fratri suo pupillatiter substitutus, controvertitur? Nos Aff. Quia cum hereditas fraterna ex testamento patris sit delata-

delata, censetur paterna *l. 2. §. 4. & l. sed si. 10. §. 1. d. vulg.
& pupill. substit.* ubi dicitur, quos possum heredes mihi fa-
cere necessarios, possum & filio; Jam verò necessarius
nolens volens protinus efficitur heres. *§. 1. d. h. q. & diff.*
quapropter statim ipso jure acquiritur hereditas, & per
consequens non nisi ratione suavitatis transmittere potest.
Deinde facit quod una sit hereditas patris & filii *l. 59. d. A.
H. l. 7. inf. eod.* unumque patris & filii testamentum *l. 28.
d. bon. auth. jud. l. 2. §. 4. l. 20. d. vulg. substit. Hillig. ad Do-
nell. 7. Comment. 2. lit. F. Noal. c. 8. n. 19.* De posthumo
quæritur, is enim nunquã fuit in potestate, quia moriente
patre nondum fuit natus *l. f. d. collat.* Et tamen dicitur
suus *l. 1. §. toties. d. ventr. inposs. mitt. l. 1. §. 8. d. suis & le-
git. §. 2. inf. d. h. qua ab intest. §. 26. d. legat.* Respond. lex
fingit eum esse in rerum natura *l. 26. d. stat. hom. l. 7. eod.*
& jam nato comparat. *l. 2. §. qui autem d' excusat. rur.* in
iis scilicet, quæ ad ejus commodum spectant *d. l. 7.* Et sic
quandocunque pater ejus moritur, mortis ejus tempore
fuisse intelligitur & pro nato habetur. *l. 153. d. V. S. Add.
l. is cui. 18. quand. dies legat.*

Th. XIII.

Dictum hæctenus, quod si concurrant hæc duo,
primus nempe locus in familia & patria potestas, quod
ille propriè dicatur suus heres. *Gomez. d. c. 9. n. 13.* &
transmittat patris sui hereditatem non aditam nec re-
pudiatam *d. l. un. C. d. his qui ant. l. 19. C. d. j. delib. 20. d.
A. R. D.* non tantum ad descendentes ex se, & ad suum
heredem, sed ad quoscunque etiam extraneos. *l. 9. §. f.
d. reb. dub. l. 3. C. d. jur. delib. l. 1. §. qui in potestate. Si quis
omiss. l. 8. C. d. suis & legit. l. 19. §. 2. d. castr. pecul. l. 9. d.
jur. fisc. l. 7. d. A. H. Duar. Tit. d. A. H. c. 5. fol. 451. Gail. 2.
obs.*

obs. 137. n. 6. Treutl. 2. d. 12. th. 13. lit. C. Neque est quod nonnulli existimant, suum heredem transmittere jus sunitatis ad descendentes tantum ex se, non ad alios adducentes *l. 19. C. d. j. delib.* ubi Imp. refert, dixisse quendam Jctum Paulum suum heredem transmittere hereditatem tantummodo in posteritatem suam, h. e. in descendentes ex se filios. Posteriores enim dicunt, sunt qui ex nobis nascuntur. *l. 1. d. jur. immunit.* & posterorum appellatione liberi tantum continentur. *l. 83. §. 1. d. legat. 3.* Verum responderi potest, posteros quoque in lata significatione non posse malè dici, qui nobis succedunt, quod post nos veniant. *Duar. d. l.* Vel si hoc non placet, dicendum erit, Imperatorem ibi de deliberandi jure agere, non verò de existentia sui heredis, quæ si operatur transmissionem, tempore non concluditur. Quinimò etiam si *in d. l.* de naturali ageretur transmissione, exinde tamen non statim negaretur, eos etiam ad extraneos quoscunque hereditatem transmittere posse, cum constet multa sæpè in legibus scribi frequentioris usûs causâ, quibus tamen non excluduntur alii minus frequentes casus. *Salic. ad d. l. 19. Jason. in l. si infanti. 18. C. d. jur. delib.*
Th. XIV.

Suus heres est etiam heres necessarius, invitus, nolens volens. At Prætor permittit volentibus abstinere hereditate paterna. *§. 2. in f. d. h. q. & diff. l. 57. pr. d. A. H. l. 1. §. qui sunt. Si quis omis. caus. l. 28. d. reb. aut. jud. l. 89. d. legat. 1.* Beneficium autem abstentionis hoc tantum operatur, ut is utens jure Prætorio, pro herede non habeatur, effectum verò juris Civilis non in totum tollit. Unde si fortè filius non declarato animo suo decesserit, cum vel ignoraret patrem esse mortuum, vel sciret qui-

quidem, sed nondum declarata voluntate de retinenda
aut de relinquenda patris hereditate, eam hereditatem
potestate juris tanquam suus heres ad quoslibet trans-
mittit. *l. 1. §. qui sunt. Si quis omis. l. 9. §. f. d. reb. dub. l. 3.*
C. d. jur. delib. l. 8. C. d. suis & legit. Neque sinitas à Præto-
re sublata in casu quo tractatur de commodo & favore
ipsius filii, sed necessitas tantum, per quam præcisè tene-
batur succedere in hereditate paterna, siquidem ex neces-
sariis facti sunt voluntarii, non verò extranei, adeoque
quod bono liberorum introductum est, non in eorum
dispendium retorqueri debet. *l. 6. C. d. leg. add. l. 12. d.*
vulg. substit. Perez. C. d. his qui ant. apert. n. 6. Imò &
post abstentionem adhuc heres manet. *l. 88. d. hered. in-*
stit. l. 7. §. 10. d. minor. ut etiam nuda & sola sui heredis
existentia pupillares tabulas confirmet. *per l. 41. l. seq. d.*
acquir. hered. l. 8. d. reb. auth. jud. Dn. D. Ludov. Diss. ad
Instit. 8. th. 5. in fin. Excellentiss. Dn. Præses Diss. 9. thes. 28.
inf. Cæterum sunt casus, quibus suus heres abstinenti
facultatem amittit. *l. 71. §. 4. d. A. H. Dn. Wissenb. Diss. 58.*
th. 11. inf.

Th. XV.

Satis de Transmissione quæ fit ex capite sinitatis, &
pro instituti ratione fortassis nimium. Jam de ea *quæ ra-*
zione sanguinis fit: Quando scilicet aliquis descendens ex
liberis ante hereditatis agnitionem recusationemque
decedit, quo casu etiam ignorantes ad descendentes so-
lum transmittunt. Vocatur speciali nomine *Theodosia-*
na, ab Authore Theodosio Imperatore inventa in *l. un.*
C. d. his qui ant. apert. tab. Quæ constitutio necessaria
fuit, cum ante eam ne liberi quidem, nisi jure sinitatis, he-
reditatem non aditam ad successores transmittant. *l. un.*

C

§. in

§. in novissimo. C. d. caduc. tollend. In hac autem transmissione quædam necessario sunt observanda: (1.) ut hereditas, de cujus transmissione agitur, sit alicujus ascendentis, patris, matris, avi aut aviæ &c. (2.) ut transmittens s. ille qui facultatem transmittendi habet, & transmissarius seu in quem fit transmissio, sint soli posteri descendentes. Quamvis quidem isti descendentes posteri, habita ratione ad suos heredes, videantur extranei sec. §. 3. d. hered. qual. attamen quoad transmissionem hanc habentur pro suis, & opponuntur extraneis, non quod ἀπλωῆς & revera sint sui, sed secundum quid & quoad effectum transmittendi jus suorum acceperunt, d. l. un. C. d. his qui ant. Gomez. d. c. 9. n. 48. ibiq. Em. Soarez. in Annot. lit. M. Nec refert s. masculi s. foeminae sint, utrum in linea paterna an materna, sive existant adhuc in sacris paternis sive non, puta quando sunt emancipati, nam & hi de sanguine sunt, cujus jura cum sint naturalia, adeoque per inventum juris Civilis Rom. quod hoc loco est emancipatio, immutabilia sunt l. 8. d. R. I. §. 11. d. 7. N. G. & C. Item sive is, qui ante aditionem est mortuus, sciverit se vocatum an ignoraverit, modo delatam non repudiaverit, repudiatio enim liberos removet; Similiter utrum filii sint legitimi & naturales simul, an naturales duntaxat. arg. d. l. un. Nov. 89. c. 12. & 15. cum & in his obtineat virtus & ratio sanguinis Gomez. d. l. n. 42. & 43. An autem transmissio fiat ad eum, qui necdum natus aut conceptus tempore mortis ejus, de cujus hereditate tractatur? Affirmantibus album lubet adjicere calculum, cum in hoc casu nepos, pronepos aut descendens, licet non ex persona sua propria succederet, attamen ex persona patris vel sui antecessoris benè poterit hereditatem consequi, cujus factum hic inspicitur. arg. l.

un. h. t. Perez. in C. ad Tit. d. his qui ant. n. 10. Gomez. r. V. R. 9. n. 44. Noal. n. 92. Zæf. ad Tit. d. A. H. n. 37. Voluit Imperator consulere descendentes ut haberent aliquod suæ tristitiæ solatium, atque ne ob casus humanos avi hereditate nepotes defraudentur, & adversus avitum desiderium alii insperato hereditatis commodo fruerentur, sæpiùs all. *l. un. C. d. his qui ant. apert. tab.*

Th. XVI.

Transmissio *beneficio juris deliberandi* fit, quando quis sciens hereditatem ex testamento aut ab intestato sibi delatam, intra annum deliberationi datum decedens, quasi interim deliberasset, id quod superfuerit temporis ad porrò deliberandum, & si visum sit ad eundem, ad quoscunque heredes, sive sint descendentes sive etiam extranei, planè transmittit. Audit Transmissio *Justiniana* à Sacratissimo Imperatore Justiniano in *l. cum in antiquioribus 19. C. d. jur. deliber.* primitùs introducta & constituta, qua plenissimè consulitur heredibus. Nam periculosum & anceps est, hereditatem aut adire statim aut statim repudiare; illud ob periculum alieni æris quod initio latere potest, hoc ne temerè repudiando lucrosam amittamus hereditatem. Adversus hujusmodi igitur periculum duo remedia heredibus cunctantibus comparata sunt, unum jus deliberandi, alterum beneficium inventarii. §. 5. *d. hered. q. & diff.* quorum posterius longè pinguius & tutissimum. Illo sicut extranei heredes an adire an repudiare, ita sui jure Prætorio an immiscere se vel abstinere velint in hereditatis vires inquirendo consultare possunt. Ad hanc autem consultationem certum tempus heredi instituto præfixum est sec. *l. 2. l. r. §. ult. d. jur. deliber. & l. ult. §. 13.* Quod si verò etiam an-

te petitam deliberationem is cui scienti hereditas delata
decefferit, arbitrium hoc deliberandi ad quoslibet trans-
mittit heredes, ita tamen ut intra illud, tempus quod ex
anno superest, heredes ejus deliberare & hereditatem
adire possint *d. l. 19. C. h. t.*

Th. XVII. *

Ut igitur transmissio beneficio juris deliberandi lo-
cum habeat, requiritur (1.) ut hereditas de qua agitur re-
vera sit delata, ita ut eam agnoscere & agnoscendo quæ-
rere defunctus potuerit, cum quod quis non habet, ad a-
lium transmittere nequeat *l. 96. d. condit. & dem. l. 54 l. 120.
l. 208. d. R. I. l. 13. §. 2. ad Sct. Trebell.* (2.) ut delatam sibi
sciverit, quoniam cum in deliberatione heredis funde-
tur hæc transmissio, non aliter hoc jus deliberandi in
heredes transmitti potest, quam si & transmissarius sciat
delatam esse, ratio est perspicua, qui enim ignorat, non
potest deliberare, cum in deliberando animus requira-
tur, & absq; eo non possit transmitti *l. 19. ibi: etsi quidem
is qui sciens C. d. jur. delib. ibique Gloss. & Da. communiter.
Gomez. d. c. 9. n. 53. Sande 4. Decis. Frisic. c. 9. def. 1. Noal.
n. 119. & 120.* Nonnunquam tamen & transmissio hæc
ab ignorante procedit, si videlicet heres sciens heredita-
tem sibi delatam esse, decedat intra annum deliberato-
rium, & sic deliberandi jus transmittat, is autem in quem
facta est hujusmodi transmissio simpliciter intra illud
tempus decedat, ignorans hereditatem istam sibi dela-
tam esse, nihilominus secundus iste heres quamvis igno-
rans, hoc jus deliberandi pariter ad heredes transmittit
arg. l. 17. quod met. c. Gomez. d. l. n. 54. Noal. n. 122. (3.) ut
hereditas nondum sit adita nec repudiata *d. l. 19.* Quia si
adivit ante mortem suam, nihil opus est transmissione,
sive-

si verò repudiavit, non potest transmitti, quomodo enim
transmitteret jus quod semel repudiavit? *l. traditio d. A.*
R. D. d. l. 54. l. 120. d. R. I. & repudiatione hereditas semel a-
missa nunquam transmittitur. l. 13. d. A. H. §. f. d. b. q.
& diff. l. 14. C. d. repud. hered. (4.) ut post mortem here-
dis aliquid temporis sit superfluum, heres quippe illud
tempus anni solummodo transmittit, quod superest,
non verò amplius, elapso siquidem anno præscripto, ces-
sat transmissio *d. l. 19.* Cum tempore præscripto actum
non gerens censeatur nolle, & concessa ad tempus post
illud videantur negata. *Magnificus Dn. D. Richter. d. decis.*
67. n. 23. Neque adversatur, quod in *l. fin. C. si pendens. ap-*
pell. mors interv. dicitur: non residuum tantum tempo-
ris heredes habere, sed & alios quatuor menses ad agen-
dam appellationem; Nam hoc non ita accipiendum e-
rit, ac si tanto tempore pateat successori heredis facultas
adeundi, sed quod, cum adiit & quidem intra residuum
temporis anni adhuc quatuor mensium numerabitur
spatium ad exhibendam appellationem; Idcirco à diver-
sis mala fit illatio *sec. l. 20. d. minor.* laxiora siquidem
tempora præstituuntur litibus agendis, quam heredita-
ribus adeundis, litis enim incertior est exitus quam here-
ditatis causa. *Vid. Excellentiss. Dn. D. Struv. d. Exercit. 34.*
th. 53. Zæf. tit. d. jur. deliber. n. 4. Wissenbach. d. Disput. 58.
th. 16.

Th. XIIIX.

Perlustratis sigillatim Transmissionis speciebus,
harum differentias facile cognoscere licet. Nam (1.) ju-
re suitatis & deliberandi indistinctè ad quoscunque tam
suos quam extraneos heredes hereditatem transmit-
tunt; non item potentiâ sanguinis, quæ saltem ad descen-

dentes porrigitur, non etiam ad alios successores *d. l. 9. §. f. d. reb. dub. l. 3. C. d. jur. deliber.* (2.) in illa transmittitur hereditas tantum paterna & quidem per suos, in ista verò & hac materna quoque ad omnes descendentes & extraneos. (3.) in suavitatis Transmissione probandum est, filium fuisse suum ac in potestate, in Theodosiana cum in quem transmittitur fuisse ex numero descendentium in Justiniana, cum de cujus hereditate quæritur, intra annum obiisse saltem probatur. (4.) Duæ priores fieri possunt ab ignorantibus, hæc verò non nisi transmittens certò sciat delatum.

Th. XIX.

Ut Vulgata ita indubitata juris regula est, hereditatem non aditam, non transmitti ad heredes *per l. un. §. 5. C. d. cad. tollend. l. 9. d. suis & legit. l. 7. C. d. jur. delib. l. qui liberis §. 1. l. 10. pr. d. vulg. & pup. l. 3. §. hoc igitur d. bon. poss. l. 4. C. qui admitt. Magnif. Dn. Franzk. b. m. Exercit. 6. quest. ult. Magnif. Dn. Richter. decis. 67. Dn. Carpz. P. 3. c. 14. def. 23. n. 1.* De cujus ratione, ut eam assignent, variè discrepant inter sese Dd. Aliam reddit *Duar. lib. d. jur. ad cresc. c. 17.* Aliam *Giphan. ad l. un. C. d. his qui.* Aliam *Ant. Faber. 14. conj. 1.* Plures videlicet apud *Gomez. cap. 9. n. 1. & seqq.* quas singulas expendere nec instituti nostri ratio nec temporis penuria admittit. Verior & expeditior videtur, quod nec ipsa hereditas, quæ per aditionem demum acquiritur, transire possit, nec ipsum jus ad eundem, quia id personale est, ex testamento enim si deferatur propter merita, dignitatem, reverentiã & affectionem heredi concessum *l. 9. pr. Socio.* Ab intestato verò, aut propter cognationem, affectionem similemque causam. E. merito cum persona extinguitur, ut pluribus persequitur

tur

tur *Donell. 7. comm. 4. ibique Hillig. lit. C. Dn. Franzk. d. l.*
Th. XX.

Excipiunt Dd. communiter triplicem casum, vel
sunitatis vel sanguinis vel juris deliberandi, ubi nec adi-
tam transire volunt. Verum an verè dubito, imo nego
cum *Dn. Franzk. d. Exercit. 6. quest. ult.* ubi solidissimè
more suo hoc demonstratum dedit. Sunt verò alii ca-
sus, in quibus vel ob causæ æquitatem decreto Prætoris,
hereditas non adita transit, ut si heres adire volens impe-
diatur (1.) lege, ut est casus *in l. si quis 3. §. eleganter. 30 d.*
Sct. Sillan. l. seq eod. (2.) factò alterius tertii, *l. scriptus.*
12. d. Carbon. Edict. l. 42. §. si falsum. d. bon. libert. l. 34. C.
d. inoff. testam. l. 85. d. acq. vel omitt. hered. Si scilicet non
habet regressum contra impediendum, quia jure impe-
divit; Secus verò ubi habet, puta quia fecit dolosè & est
solvendo, ut *in l. 1. §. ult. si mulier vent. nom.* (3.) Justâ ab-
sentiâ, si is fortè Reipubl. causa abfuerit. *l. 86. d. A. vel O.*
H. (4.) alio probabili impedimento *l. 4. §. fin. d. b. poss.*
cont. tab. l. 84. d. A. H. Sic de jure Saxonico ob morbum
fonticum, quo etiam extraneus heres institutus, & ante
aditionem hereditatis mortuus transmittit hereditatem
ad heredes. *Matth. Coler decis. 68. n. 14.* (5.) in hereditate
infanti ex testamèto vel ab intestato delata, quam pater,
si fortè infantis nomine eam adire vel bonorum posses-
sionem petere neglexerit, & infans ea ætate decesserit, ju-
re patris quasi jam infanti quæsitam occupat. *l. 18. §. 1. &*
seqq. C. d. jur. delib. Bart. in l. 83 n. 26. d. acq. vel omitt. he-
red. Magnificus Dn. D. Richter d. decis. n. 24. Ne fortè he-
reditas ad alios devolvatur *l. fin. C. bon. qua liber.* atque
ut pater solatium habeat tristitiæ suæ, cui meritò consu-
lendum, ut sunt verba *l. un. in f. C. d. his qui ant. Vid. Dn.*
Carpz.

Carpe. P. 3. c. 14. D. 23. n. 8. & seqq. ubi hoc præjudicio confirmat. (6.) in legato, cujus dies statim post aditam hereditatem cedit, illud quippe etiam non agnitum transfertur. *l. un. §. 5. C. d. cad. toll.* Et ita in Collegio Salano responsum fuisse refert *Dn. D. Richter. d. l. num. 27.* (7.) Limitatur regula nostra de jure Saxonico, ubi nulla requiritur aditio, ideoque quilibet heres si ante aditam hereditatem decedat, eam transmittit ad suos proximiores heredes. *Coler. d. decis. 68. num. 12. & seq. citatus à Magnif. Dn. D. Richter, d. decis. n. 26.* quem hic allegasse sufficiet.

Th. XXI.

Progredimur *nunc ad causas.* *Efficiens* est i. voluntas testatoris tacita & præsumta, eo ipso enim dum testator his aliquid relinquit, per quos ad transmissarios heredes pervenire potest, eis tacitè reliquisse censetur, quia verisimile est testatorem de his quoque sensisse *l. 1. §. 6. d. legat. 1. l. 3. d. jur. delib.* 2. expressa legum dispositio. *l. un. C. d. his qui ant. l. 19. l. 3. l. 7. C. d. jur. delib. l. 8. C. d. suis & legit. l. un. §. 5. & 13. C. d. cad. toll. l. 12. d. Carbon. Edict. l. 3. §. 30. d. Sct. Sillan. l. 84. d. A. H.* Rationem cur transmissio pro juris Civ. effectu & invento habere debeat reddit *Vasquius in lib. d. success. progress. §. 6. n. 1.* quia scil. & successio, cujus qualitas, extensio & continuatio est ipsa transmissio, circaque eam versatur, juri Civili sit adscribenda.

Th. XXII.

Objectum s. res quæ transmissionem recipiunt dicimus esse successionem tam testamentariam s. ex testamento, quàm legitimam s. ab intestato, propter *l. un. §. 5. 13. C. d. caduc. toll. l. un. C. d. his qui ant. l. 19. C. d. jur. delib.*

lib. l. 18. C. d. her. instit. l. 8. C. d. suis & legit. Ubi eadem enim militat ratio, ibi idem jus statuendum *l. illud 22. ad L. Aquil.* Ratio autem *d. ll.* ne videlicet ii quibus debetur successio ob fortuitas causas vel casus humanos inique ea defraudentur, æque obtinet in hereditate legitima, ac ex testamento delata. Etenim ex voto parentum, qui cum intestati decedunt superstitibus liberis, quorum sciunt primas esse partes in causa successionis intestati, non minus id procul dubio agunt, ut liberos habeant heredes, quàm si eos nominatim scriberent in testamento. Et quemadmodum ipsa successio ex duplici causa vel ex testamento vel ab intestato ad nos pervenit, ita quoque transmissio, quæ ejusdem formæ ac naturæ prorogatio. N. O. (1.) quod inscriptio & verba textus *l. un. C. d. his qui ant.* faciant mentionem tabularum (2.) *L. 2. C. d. Sct. Orphit.* aliaque quæ adducunt *Diff. Cujac. in C. d. his qui ant. & in d. Tit. d. Sct. Orphit. inf. Treutl. V. 2. D. 12. th. 7. lit. D. Perez. in d. tit. C. de his qui. Respondebit pro me tibi Bachov. ad Treutl. d. l. Wissenb. d. Disp. 58. th. 10. Add. Duren. d. c. s. d. acq. vel omitt. hered.*

Th. XXIII.

Videbimus jam de fideicommissaria hereditate. Fideicommissum in Universale & Particulare dividitur. Illud est, quo heres directò institutus rogatur, ut alteri hereditatem vel ejus partem restituat. Sicque heres, qui hereditatem alteri restituendam recipit, dicitur fiduciarius. *l. 40. ad Sct. Trebell. l. 67. §. ult. eod.* vel καὶ ἐξοχλῶν heres. *§. 2. & seqq. d. fideic. l. 1. §. 3. ad Sct. Trebell.* is verò, qui hereditatem ex fideicommissio restitutam accipit, fideicommissarius appellatur. *§. 7. 8. d. fideic. Schnob. Disp. 18. th. 2.* Et hoc fideicommissum si sub conditione vel incerto

D

die

die relictum sit, ad heredes non transmitti, constanter tradunt Dd. *ex l. 4. & passim. quand. dies leg.* Si verò purè vel in diem certum, dies ejus statim à tempore mortis testatoris cedit, & consequenter etiam si agnitum nondum fuerit, si contingat fideicommissarium ante restitutionem sibi factam decedere, ipsum jus illud fideicommissi universalis ad heredes transmittitur. per *l. 44. in pr. ad Scf. Trebell. l. cogit. §. idem Macianus. eod. ibi:* sive ipsi desiderent sibi restitui, sive alius in locum eorum successerit. *l. 21. l. 3. C. d. fideicom. l. ult. C. quand. dies leg. l. 109. d. condit. & dem.* in cujus specie frustra quæreretur, an conditio impleri per fideicommissarii heredem possit, si ita jus esset, ut purum fideicommissum ad heredem non transmitteretur, idemque in terminis probat *l. quidam 25. pr. ad Scf. Trebell.* ubi disertè respondet Julianus, si fideicommissarius, post diem cedentem fideicommissi, licet nondum adita hereditate, decesserit, heredi ejus fideicommissum debeatur. *Bachov. ad Tr. 2. D. 14. th. 8. lit. A. verb. ejusve heredi.* ubi simul ad *Diff. A. Fab. Decad. 31. Err. 1.* rationes respondet. *Add. Noal. cas. 8. n. 131. ibique cit.* Rationem tradunt Dd. quod fideicommissarius habeat officium judicis ad cogendum invitum heredem, ut hereditatem adeat & postea restituat. *§. 6. & 7. d. fideic. hered. l. 4. l. 14. §. 1. ad Scf. Trebell.* Judicis autem officium omninò transmissibile est ad heredes *l. non solum 6. d. restit. in integr. Gail. 2. obs. 131. n. 2. Carpz. P. 3. c. 14. def. 23. n. 12. & seq. Zæf. d. A. vel O. H. n. 42.*

Th. XXIV.

Particulare s. singulare fideicommissum est delibatio hereditatis ita relictæ, ut quis rogetur rem particularem alteri præstare. Multis modis legata & fideicommissis-

missa hæc olim inter se differebant. §. 10. & 11. d. fideicom.
hered. §. 34. & 35. d. leg. l. pen. d. legat. 1. vid. Caj. 2. Instit.
Tit. d. fideic. 7. §. 8. Ulp. in fragm. Tit. 24. & 25. Verùm
hodiè non solùm differētia hæ sunt sublata, sed & fidei-
cōmissa legatis & vice versa exæquata sunt per omnia l. 1.
d. legat. 1. Et à Justiniano demum in omnibus §. 3. d. le-
gat. (manet tamen adhuc differentia specifica, & quas in-
ducit aut qualitas rei, aut voluntas testatoris. Vid. Nobi-
lissimus Dn. Præses Dissert. 10. thes. 2. Vac. à Vac. 4. Decl. 53.
Wissenb. Disp. 1. part. post. th. 2. & seqq. Wesenbec. Parat. d.
leg. 1. n. 9. ibique Bach. & Hahn. in Not. Relinquuntur au-
tem legata vel conditionaliter, vel in diem, vel purè. Quæ
sub conditione relicta sunt, cedunt à die tantùm condi-
tionis impletæ. l. si post diem. §. 2. l. 6. quand. dies leg. l. un.
§. sin autem. C. d. Caduc. toll. ideò legatariis vel fideicom-
missariis ante ejus implementum decedentibus sub ea-
dem conditione relictum, remanet extinctum l. 59. d. con-
dit. & demonstr. nec ad heredes transmitti potest. d. l. 5.
§. 2. quand. dies legat. l. un. §. 7. C. d. cad. toll. l. si ita
legatum. 65. §. 1. d. legat. 1. l. 19. l. 69. l. 79. l. 107. d. con-
dit. & demonstr. licet certum sit conditionem omni-
nò extitutam esse. l. hujusmodi 13. quando dies legat.
Nisi appareat, testatorem voluisse fideicommissum vel
legatum conditionale ad heredes transmitti, quod etiam
ex actu nullo colligitur. l. ult. d. reb. eor. l. 10. & l. fin. C.
famil. ercisc. etiamsi voluntas testatoris præsumatur tan-
tùm l. 74. d. legat. 1. l. 102. d. condit. & dem. Nam & id
quod sua natura haud transmissibile est, voluntate testa-
toris transmissibile fieri potest. arg. l. 19. §. hac scriptura
d. condit. & dem. l. 35. §. 3. vers. & facile. d. hered. instit.
& è converso, Bald. in l. si pater. n. 19. C. d. instit. & substit.

Gail. 2. obs. 132. Dn. Carpz. P. 3. c. 14. D. 29. n. 7. Noal. cas. 1. n. 1. & seqq.

Th. XXV.

In legato in diem relicto, disting. aut dies certus est aut incertus. Priori casu, quando nimirum à testatore expressus est dies certus, tunc dies legati vel fideicommissi quoad transmissionem cedit à die mortis testatoris, *d. l. 5. l. 21. pr. quand. dies leg. l. 26. d. usu & usuf. leg. l. un. § cum igitur. in f. C. d. cad. toll.* quoad obligationem verò & petitionem die demum adveniente. *d. l. 21. pr. qu. dies leg. l. si cui legatur. pr. d. leg. 1.* Posteriori, tam quoad petitionem quàm transmissionem aliosque effectus cedit die tantummodo adveniente. *d. l. 21. pr. vers. at si incerta.* incertus namque dies facit conditionem *l. 75. d. condit. & demonstr. l. 30. §. 4. d. leg. 1. Noal. cas. 3. n. 1. & seqq.*

Th. XXVI.

Legata fideicommissive purè relicta quoad transmissionem cedunt à die mortis testatoris. *l. 5. pr. qu. dies legat. l. un. §. cum igitur. & §. 5. C. d. cad. toll.* Rationem ex *§. 3. l. 77. d. legat. 2. l. fin. C. qu. dies leg.* suppeditat *Noal. cas. 2. n. 4.* quia ista ignorantibus quæruntur. Quoad obligationem verò, à die demum aditæ hereditatis, oritur enim ex quasi contractu, heres quippe adeundo hereditatem videtur cum legatariis contrahere *l. 3. in f. & l. seq. quib. ex. c. in poss. §. 5. d. oblig. quæ ex qs.* & propterea ipsi fideicommissariis actio incipit ex testamento competere, quâ contra heredem experiantur, ut restituant. *l. 1. C. Commun. d. legat.* Etiam quoad translationem domini cedit verè ab adita hereditate. *l. 86. §. cum servus d. leg. 1. l. 7. §. 5. d. dob.* quia peti nequeunt, hereditate nisi adita.

Fictè

Fictè autem cedit, à die, quo testator mortuus est, & si ante legati vel fideic. exactionem fideicommissarius legatariusve decedat, legatum vel fideic. ipsiusque petitionem ad heredes transmittit. *d. l. 5. pr. qu. d. legat.* Fallit verò, & istud legatum non cedit nec transmittitur à die mortis testatoris, sed aditæ demum hereditatis, primò, si legata redderentur inutilia, quando v. gr. testator in testamento reliquit libertatem servo, eique aliquid legavit, ut est casus in *l. heredes. 7. inf. & l. 8. quand. dies legat. d. l. un. §. 6. C. d. cad. toll.* Ratio est in *l. 4. C. d. legat.* quia nondum habet libertatem, quæ non competit ante aditam hereditatem *d. l. 8.* fieret enim liber ante hereditatem aditam & postmodum contingeret hereditatem non adiri, absurdum esset libertatem revocari, secundum *Gloss. in l. un. §. libertatibus. verb. libertatibus.* Deinde si testator aliter disposuerit, & legatarius in exactione legati morosus fuerit. *l. 3. §. 1. d. adim. & transf. legat.*

Th. XXVII.

Legatis æquiparatur mortis causa donatio, quæ exemplo illorum etiam sine agnitione transmitti potest, sicut in Decretorio Jurid. Jenensi M. Jan. anno 1622. judicatum fuit, *Vid. Magnif. Dn. D. Richter. sapius citat. decis. 67. n. 28.*

Th. XXIIIX.

Præterea transmissionem quoque admittit legitima, *text. in l. quanquam. 10. C. ad L. Falcid.* Ex regula generali, quâ omne jus per successionem delatum ac debitum transferri potest. Legitima verò est portio honorum delata filio decedenti ac debita, *l. 8. §. 9. d. inoff. test. l. 7. d. bon. damn.* Deinde legitima nullum onus aut gravamen, quod ex testamento vel ex ulla alia testatoris

dispositione oritur recipit *l. 32. C. d. inoff. test.* Sed si horum quicquam adscriptum, pro non adjecto habetur. *l. 30. & 32. C. d. inoff. testam. Nov. 18. c. 3.* Sed non transmittere est gravamen. E. Accedit quod legitima sit jus, quod debetur ex provisione legis, non iudicio testatoris. *l. 8. & 30. d. inoff. testam. l. 32. & 36. §. 1. C. eod. Vid. Vinn. 1. sel. quest. 22.* Quæ verò hoc modo deferuntur, & non jure hereditario, ea transmittuntur etiam sine ulla agnitione, per *l. 22. pr. d. adopt.* ubi filius arrogatus transmittit ad heredes suos quartam bonorum partem non agnitam, sed sibi debitam in bonis arrogatoris ex Constitutione D. Pii. *Gail. 2. obs. 131. n. 12. Carpz. P. 3. c. 14. D. 25. n. 4. Noal. cas. 10. n. 2. & seq. Add. n. 9.* ubi dicit hoc procedere etiam si filius decedat pendente conditione sub qua erat relicta. *arg. d. l. 32. C. d. inoff. test.* Nisi filius moriatur ante patrem, tunc enim jus petendi legitimam non transmittit, quia illa filio debetur tantum post patris mortem, & non antè. *l. 1. §. 21. d. collat. bon l. 2. §. interdum. d. vulg. subst. l. 28. vers. si vero. eod.* Quid si autem legitimæ aliquid desit? competit tunc jus agendi ad supplementum. *Nov. 115. c. 6. l. omnimodo l. 36. pr. C. d. inoff. test.* quod non minus transmittitur, quam ipsa legitima; quia repletio legitimæ inest ipso jure, at illam transferri posse ex jam dictis patet. E. & id quod ei inseparabiliter adhæret.

Th. XXIX.

Idem quoque de Falcidia & Trebellianica dicendum, quæ pariter & eadem ratione non agnita transmittuntur. *d. l. 10. C. ad L. Falcid.* ubi fiduciarius restitutione gravatus sine liberis intestatus decedens, id quod ratione Falcidiæ retinere poterat, ad heredes suos sororem æque

que ac fratrem transmittit. *l. 109. d. condit. & demon. l. 41. §. 3. d. vulg. subst. l. 1. quor. legat. Dn. Carpzov. d. def. 25.* in qua ponit talem regulam: Bona quæ non jure hereditario, ut hereditas ejusve pars, sed ex titulo particulari & jure quodam ab hereditate separato, nobis deferuntur, ea non requirunt agnitionem, sed sine ea ad heredes transmittuntur. *l. 20. §. 4. ad A. vel O. H.* Sic utensilia s. gerada etiam non agnita ex speciali juris Saxonici dispositione proximæ Cognatæ, tanquam cognatæ, non ut heredi deferuntur. *d. def. 25. n. 5. & 6.* Simili quoque ratione res Expeditoria Das Heergewette licet non agnitæ in agnatum proximiorum transmittuntur. *def. 26.* Idem dicendum de mobilibus, quæ defuncta conjunge maritus in terris Saxonie lucratur. *def. 27. Add. Magnif. Dn. D. Richter. d. decis. 67. n. 31. & seqq.*

Th. XXX.

Testamentum in quo præteritus est filius in potestate, non valet sed ipso jure nullum est *l. 7. l. 30. d. lib. & posth. pr. d. exh. lib.* Etiam si filius illud non dicat nullum *d. ll. l. 1. d. inj. rupt. l. 3. §. ex his d. inoff. test.* Atque hoc jus, testamentum nullum dicendi transmittitur per filium, etiam non agnitum in heredes utriusque sexus, non solum descendentes, beneficio *l. un. C. de his qui ant.* sed etiam in quoscunque extraneos heredes *l. 2. C. d. posth. hered. inst. l. si à 8 d. lib. & posth. Gomez. c. 11. n. 8.* Rationem dicit. *Noal. cas. 11. n. 3.* quod patre mortuo fiat cōtinuatio domini in filium, qui quodammodo dicitur dominus etiam in vita patris, per ea quæ supra *ih. 6.* diximus, ob id non potest pater alium heredem facere, nisi prius privet filium illa continuatione domini, ne aliàs
con-

9A
7A
3464
contra l. 5. §. 15. l. 3. §. ex contrario d. acq. pass. duo reperi-
antur domini & heredes in solidum.

Th. XXXI.

Cum verò liberi in testamento parentum nomina-
tim adscriptaque causa sunt exheredati, non tamen justa,
sed iniqua & ab herede non probata, per querelam re-
scinditur; Sin autem horum quis ante aditam heredita-
tem decedat, nihilominus ad heredes transmittit jus
querelandi testamentum de inofficioso. Discernenda
tamē hic veniunt jura; Jure namq; veteri indistinctè tam
ad suos quàm extraneos, at non nisi præparatâ querelâ l.
6. inf. l. seq. d. inoff. test. l. 5. C. eod. Jure novo verò subdistinguitur
inter heredem suum & extraneum. Hi quoque
non aliter quam si à transmittente cœpta est querela
transmittunt. l. 36. inf. C. d. 1. Sui verò non tantum præ-
parata, sed etiam uno aliquo casu non præparata l. 34. Co-
d. 1. Deliberabat nempe scriptus heres, an ex testamen-
to paterno hereditatem aditurus esset, decessit interim
filius exheredatus relicto nepote, traditum est & eum
posse eandem proponere causam, atque hoc solùm casu
à jure veteri recessum est d. l. fin. in fin. C. d. inoff. testam.
Præparata autem quærela tribus modis intelligitur (1.) si
mota & instituta fuerit, lite videlicet contestata & re in
judicium deducta d. l. 6. §. ult. d. inoff. test. l. 5. C. eod. (2.)
Si vel comminatus tantùm fuerit, accusationem inoffi-
ciosi, vel hoc nomine denunciationem fecerit etiam abs-
que libelli editione, vel alia ratione voluntatem suam
indignationemque declaraverit d. l. 6. inf. & l. 7. d. 1. (3.)
præparata est querela si de inofficioso acturus bonorum
possessionem litis ordinandæ gratia apud magistratum
agnoverit d. l. 6. l. 8. pr. d. inoff. test. l. 2. C. eod. Qualis au-
tem

VDTF
MIT



QUE. CELSIS-
 C. DOMINO.
 NO.
RICO.
LMO.
 ULIÆ. CLIVIÆ.
 GRAVIO. THU-
 NIÆ. COMITI. MAR-
 DYNASTÆ. IN.
 N. &c.
 DOMINO. MEO.
 SIMO.

SERE-

